



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 61. Exigua Cardonii spes in Pontificis foedere

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

deratorum autem castris equitatum ob-  
 tinendi spe frustrati essent. In hoc igitur  
 adversarum rerum concursu nulla vero  
 similis ratio suadebat, quod Gallorum  
 exercitus, cui ipsemet Rex præesset, bis  
 mille cataphractis & amplius validus ab  
 Helvetiis ad pugnam provocaretur  
 Accesserat quoque dissensio exorta inter  
 Neapolis Proregem, & Laurentium Me-  
 dicæum, qui Papæ copiis imperabat.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1515.

§. LXI.

*Exigua Cardonii spes in Pontificis  
 fœdere.*

Hujus dissidii occasio inde nata est:  
 Hispani Cinthium, eoquod nomine  
 Pontificis cum Galliarum Rege de con-  
 cordia egisset, comprehenderunt, eique  
 literas suas seu demandatæ potestatis  
 tabulas abriperunt, illasque Neapolis  
 Proregi Hispani exercitus duci trans-  
 miserunt. His perlectis, totaque earum  
 serie percepta Cardonius haud obscure  
 intellexit, quod Papa non modo cum  
 Gallis fœdus agitasset, sed totum ferme  
 pacis negotium insciis Hispanis absolvis-  
 set; inde vero suspicabatur, ejusmodi ar-  
 morum societate Regi Catholico suo Do-  
 mino fabam cudi. Præterea illius diffi-  
 dentia non modo Cinthii literis innite-  
 batur, sed præcipue quadam Laurentii  
 Medi-

Sæcul. XVI. Medicæi, qui Papæ nepos erat, epistola  
A.C. 1515. opportune intercepta augebatur; hac  
 enim Laurentius Francisco Galliarum  
 Regi significabat, se ingratis suis contra  
 Regiam Majestatem suam Pontificis  
 exercitum ducere, nihilominus se Gallo-  
 rum studia semper promoturum, quan-  
 tum proprii sui nominis honor, ac obse-  
 quii, quod Patruo suo deberet, necessitas  
 pateretur. Ex his omnibus Cardonnius  
 sibi in Pontificis foedere exiguam spem  
 esse repositam intellexit.

## §. LXII.

*Fœderati trajecto Pado Helvetios sibi  
 jungere parant.*

*Belcar. l. 15.  
 §. 20.  
 Simler rep.  
 Helv. §. l. 1.*

Nihilominus Cinthium Cardonnius li-  
 berum dimisit, eo quidem consilio,  
 ut Pontifici, ejusque foederatis innotesce-  
 ret, cunctas eorum artes denique de-  
 tectas fuisse: Ut vero de Laurentii Me-  
 dicæi perfidia certior esset, eidem pro-  
 posuit, quatenus Foederatorum copias,  
 si fieri posset, Helvetiis jungeret, idque  
 effectui dare tentaret, quinimo vehemen-  
 tius eidem exprobravit, quod Ignavi  
 aut saltem socordis animi indicium esset,  
 cis Padum cum exercitu otiosum hære-  
 re, cum Foederati ex altera fluminis ri-  
 pa jamjam classicum canerent. Lauren-  
 tius, quamvis ipsi Proregis fides suspe-  
 cta